

tamen huiusmodi non totaliter discussa nec ventilata sed dicto praeposito petitionem ipsius plebani reclamante et contradicente, tandem coram venerabili in Christo patre domino Frederico et nobis Bodone decano, Ottone thesaurario, Alberto de Arnsberg canonico, Heydenrico scolastico, Johanne cantore dictae ecclesiae Merseburgensis ambae dictae partes praesentialiter constitutae super iam dicta decima per modum arbitrii et amicabile compositionis taliter concordarunt, quod idem Johannes plebanus pro se et pro suis successoribus omni actioni renunciavit et ab impetitione ipsius decimae libere et spontanee cessit et renunciat et cedit in his scriptis nihil sibi et suis successoribus iuris et impetitionis in dicta decima reservando, ita tamen quod exnunc et deinceps perpetuis temporibus in futurum dictus praepositus et conventus qui pro tempore fuerint dabunt et persolvent ipsi plebano et suis successoribus pro dicta decima singulis annis in festo sancti Michaelis unam sexagenam et fertonem latorum novorum grossorum¹⁾ omni dilatione et contradictione postposita penitus et remota. In cuius rei testimonium et robur sufficiens sigillum nostrum praesentibus duximus appendendum. Datum et actum anno domini M^o.CCC^o.LXX secundo sexta feria ante dominicam Cantate proxima.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem wohl erhaltenen Siegel des Decans Bodo an einem Pergamentstreifen.

1) 1 Schock 7½ Gr.; später 3 fl. 4 gr. 6 pf., die der Pfarrer zu Markkleeberg jährlich zu Martini vom Klostergute zu Connewitz erhält.

No. 133. 1372. 23. Juni.

Spruch des Decans der Merseburger Kirche, zufolge dessen die Einsetzung des Weltpriesters Johann von Greten in das Altarlehn im Hospital zu S. Georgen und die Ueberweisung der Seelsorge an denselben für ungültig erklärt werden.

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo trecentesimo septuagesimo secundo indictione decima vicesima tertia die mensis Junii hora tertiarum vel quasi pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Gregorii divina providentia papae undecimi anno secundo in curia habitationis domini praepositi maioris ecclesiae Merseburgensis in mei notarii publici et testium infra scriptorum praesentia honorabilis et discretus vir dominus Bodo decanus Merseburgensis ecclesiae praedictae constitutus sedens pro tribunali quandam sententiam definitivam in carta papirea conscriptam officiali suo praesentavit ac eam legere et pronuciare publice mandavit, quam idem officialis recipiens ac ipsius obediens mandatis eam legit et pronuciavit, cuius tenor sequitur in haec verba: In nomine domini amen. Dudum causis super revocatione institutionis ad altare hospitalis sancti Georii extra muros Lipzk et curae animarum datione seu commissione in eodem per nos factis de domino Johanne de Greten presbytero, qui ut beneficium ecclesiasticum dictum hospitale ac redditus infirmorum inibi degentium se asseruit possidere vitae suae tempore, vertentem inter honorabiles et religiosos viros dominos Michahelem praepositum regularium canonicorum monasterii sancti Thomae dicti opidi Lipzk et